



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicacionis, Patrociniij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Caput X. De praxi Conciones de Passione Domini habendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

duplicem doctrinam proponendi Auditoribus. 1. Quantum triumphum de Peccatore, jubilumque celebret Dæmon, si fortè eum per assensum in peccatum in suam redegerit potestatem. Quòdque hujus triumphi, & vexilli, quod supra Peccatorem rotat, materia ab ipsomet Peccatore offeratur. Cùm ergo jam nunc iterum per Confessionem ab hoc vexillo se subduxerint, quàm æquum sit, ut ipsi etiam sibi verba illa: *Memento vexilli*: in omni occasione peccandi occinant, atque hoc freno à relapsu in peccatum contineant. Quem in finem proderit, accuratè aliquando ponderare, quàm durum & turpe sit sub hoc vexillo Diaboli militare, ubi pro honore summa infamia, pro solatio summi dolores, pro spoliis summa paupertas, pro præmio summi cruciatus acquiruntur.

2. Ostendat, quantò satius sit sub Christi vexillo militare, ut qui & dignitate, & sanctitate, & felicitate, & liberalitate, quàm suos Milites fovet ac recreat, infirmities Luciferum excedit: qui integrum, idque felicissimum regnum suis Militibus in præmium pollicetur: qui ipse exemplo præit, & ad prælia Domini pugnanda quàm verbis, quàm factis roborat: qui ad jugum suum suave & onus leve tam amicè invitat. Excitentur proinde Auditores, ut, quandoquidem hoc tempore post factam confessionem deserto Luciferi vexillo ad ipsius Christi vexillum iterum confugerunt, deinceps, quoties occasio peccandi se offert, semper hujus vexilli memoriam reficiant, sibi que dicant: *Memento vexilli Christi*, nam, ut S. Cyprianus de duplici Martyrio ait, *hujus militiam professus es ad salutare lavacrum, huic dedisti nomen, huius Sacramentis initiatus es, accepisti donativum & pignus Spiritus, ne quid dubitares de promisso stipendio, simulque Diabolo denunciasti perperuas inimicitias, renuntiasti omnibus illius pompis ac voluptatibus, exsufflasti, exhibuisti, iurasti in verba Redemptoris. Et nunc tam vili mercedula sollicitatus, sponte defecis ad eum, à cuius tyrannide te Christus suo sanguine redemit, cuius iam totus es factus?*

CAPUT IX.

DE PRAXI CONCIONES DE PASSIONE
DOMINI HABENDI.

§.I. Quid

§. I.

Quid in his Concionibus in genere sit observandum.

I. **Q**uam hęc Conciones vim & efficaciam habeant ad mentes Auditorum in Christi Servatoris sui amorem vehementissimum inflammandas, vel ex unico S. Bernardi testimonio colligi potest, dum in sermone quodam ait: *Super omnia te mihi amabilem reddit, & bone IESU, calix, quem bibisti, opus nostra Redemptionis; hoc enim omnino amorem nostrum sibi vendicat; hoc, inquam, devotionem nostram blandius allicit, iustius exigit, arctius stringit, & vehementius afficit.* Et verò vel ideo fortè etiam perras Passionis ac mortis suę tempore rumpi atque discindi voluit Christus, ut ostenderet quantas olim vires ac efficaciam eadem sua Passio habitura esset ad durissima Peccatorum corda emollienda. Merito ergo omnem dabit operam Concionator, ut ita ejusmodi Conciones instituant, ut nemo facilè ex Auditoribus discedat, qui non tanti beneficii commemoratione commotum se atque in ardentiorum Christi Servatoris sui amorem inflammatum sentiat. Ut autem hunc scopum facilius obtineat, sequentes doctrinas proderit observasse.

II. Et primò quidem ante omnia ipse studeat beneficii hujus magnitudinem clarè agnoscere, dignèque ponderare, quem in finem sex aut septem capita bene ponderanda sunt.

1. *Persona, qua patitur:* in qua dignitatem, innocentiam, sanctitatem, omnipotentiam, liberalitatem, charitatemque cõsiderare oportet; ex his enim omnibus nõ modicè augetur & crescit Redemptionis beneficiũ.

2. *Cruciatum, quę Christus perpeffus est, multitudo & atrocitas;* quam breviter ipse illis Jeremię Thren. cap. 1. expressit: *O vos omnes, qui transiit per viam: attendite, & videte, si est dolor similis dolori meo.* Dividuntur autem in externos, per baptismum à Christo, quando dixit: *Baptismo habeo baptizari.* Matt. 10. indicatos & internos, per calicem, quando Joan. 18. dixit: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* significatos. hic enim, quia ingreditur, & penetrat interiora, meritò in-

scire supereminentem scientiæ charitatem Christi JESU, teste Apostolo Eph. 3. 6. *Virtutes præstantissima*, quas in heroico & supremo gradu tunc maximè exercuit, tum ut exemplo suo illas in cruce velut cathedra doceret: tum ut easdem nobis sua passione promereretur: tum ut morte sua confirmaret ultimam suam voluntatem, quâ easdem virtutes nobis velut præclaram hæreditatem relinqueret. 7. *Septem Stationes, in quibus patiebatur*: quarum prima fuit in horto Gethsemani, secunda in domo Annæ, tertia in domo Caiaphæ, quarta in domo Pilati, quinta in aula Herodis, sexta in Pretorio Pilati, septima in monte Calvariæ, in quibus omnibus copiosa illi patiendi occasio, materiâque subministrabatur. Hæc ergo septem capita si frequenter & accuratè per præteritam considerationem ponderârît, non modò ipse beneficii per Passionem suam à Christo collati magnitudinem & excellentiam clarissimè intelliget, sed abundantem etiam materiam inveniet, similem æstimationem per solidas Conciones instituendi.

III. Det operam, ut scopum, qui ejusmodi Conciones præfixus esse debet, ob oculos semper habeat, nempe ut affectus & actus virtutum in Auditoribus excitare student, quos tantum beneficium jure meritissimo ab iisdem exponitur, quales sunt. 1. *Sincera & affectuosa condolentia & commiseratio*, quæ in voces similes cum David Rege 2. Reg. c. 11. erumpere eum cogat: *IESU Servator mi, mi IESU Servator quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? Intentus dolor & contritio de peccatis concepta*: juxta S. Bernardi in S. 3. de Nativ. monitum: *Agnosce, ô Homo, quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse est, Dominum Christum vulnerari.* 2. *Amoris mutui demonstratio*: Cùm enim ex una parte, ipse Christo teste Joan. 15. *maiores dilectionem nemo habeat, quam ut animam quis ponat pro Amicis suis*; atque adeò, teste S. apostolo Rom. 5. vel maximè commenda verit charitatem ipsam Christus pro nobis, quòd, cùm adhuc Peccatores essemus, pro nobis mortuus est; ex altera verò parte amor juxta Ecclesiasticos non nisi mutuo amore compensari possit, facile apparet, quantum amorem à quovis exigat hoc Passionis beneficium, quàmque adeò meritò S. Bernardus, ut supra jam dictum est, exclamârît: *Super omnia te mihi amabilem reddit, ô bone IESU, carissime.*

calix, quem bibisti, opus nostra Redemptionis. Sed & S. Augustinus id ipsum confirmans dixerit: *Domine, qui tibi non seruis* (amando) *quia creatus est, infernum meruit, qui vero tibi non seruit, quia redemptus est, meretur, ut novus pro eo infernus fiat.* 4. *Gratitudinis*: de qua præclare S. Bernardus in s. de dilig. DEO sic locutus est: *Si totum debeo pro me facto, quid addam iam pro me refecto, & refecto hoc modo? nec enim tam facile refectus quam factus; nam qui me semel, & tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se. & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo, quid DEO retribuam pro se? nam etiamsi millies me rependere possem, quid sum ego ad DEVM? 5. *Spei & fiducia*: ad quam efficaciter iterum exhortans S. Bernardus l. 22. super Cant. ait: *Passio tua, Domine IESV, ultimum est refugium, singulare remedium; deficiente sapientia, iustitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis illa succurrit. Cum enim defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido. Scio, quid faciam: Calicem salutaris accipiam: scio, quod merita mea non sufficiant, ego vero fideliter, quando ex me mihi deest, usurpo ex Visceribus Domini, quoniam misericordia affluunt; nec desunt foramina, per qua effluant. Hinc & S. Augustinus confessus est, se in omnibus adversitatibus non invenisse tam efficax medium, quam vulnera & passionem Christi. 6. *Imitationis Christi*: nam, ut eleganter S. Augustinus tr. 119. in Joann. dixit, *Cruce Christi non tantum est lectulus morientis, sed etiam Cathedra docentis*; hinc S. Petrus 1. c. 2. monuit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, ut adeo merito quis exclaimet cum S. Bonaventura: Nolo, Domine, vivere sine vulnere, quando te video tantoper vulneratum.***

IV. Et si ad enumeratos affectus concitandos omnem operam ac eloquentiam adhibere debeat, cavere tamen simul etiam oportet, ne ad hunc finem ludicra & exotica spectacula in templo aut in cathedra exhibere velit; hæc enim curiositatem potius pascunt, quam Auditores ædificent; sed & ipsos affectus, quos excitare cupit Concionator, impediunt potius, quam promovent, uti multiplex experientia compertum est.

Potius ergo Eloquentiam suam in auxilium advocet, & cruciatuum Christi magnitudinem ac multitudinem patheticè ob oculos ponat, nec dubitet, quin majorem ex tali concione fructum, quàm ex quibuscunque aliis spectaculis sit reportaturus.

V. Quò faciliùs materiam pro eiusmodi Concione inveniat, studeat nôsse Authores, qui copiosius eiusmodi materiam suppeditant, quales præ reliquis esse possunt Casp. Bellarminus de septem Verbis Christi in cruce pendenti Alphonsus Rodriguez p. 2. de perfect. Christ. tr. 7. toto. Casparus Tausch in Matre Dolorosa. Leopoldus Mancinus de Passione Domini. Hieremias Drexelius de Christo patiens Ludovicus de Ponte p. medit. 4. fusè. Laurentius Forer in part. 3. Vit. Christi. Matthias Faber in opere trip. in Feria Pasceves, & plures alij.

§. II.

Exemplar

Concionis de Passione Dominica instituendæ.

Thema.

Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini. 1. Petri 4.

Scopus.

Demonstrandum, quomodo per memoriam devotam passionis & cruciatuum Christi omnia adversa sibi levia fieri possint Auditores.

Syllogismus principalis.

Non leve solatium est miseris, si socios nanciscantur eadem aut graviora passos; Atqui omnes Fideles in tribulationibus suis Socium nacti sunt Christum; graviora longè tormenta ac cruciatu perpeffum; Ergo meritò ex illius considerata passione non leve solatium sperare possunt.

EXORDIUM.

Solent non rarò ij, qui majorem sanitatis, vitæque conservandæ curam ac sollicitudinem gerunt, myrothena

(Balsam. Büchselein) secum circumferre, ut si forte subito & inopinato casu in deliquium cadere eos contingeret, balsami in myrothecio suo inclusi unctione confortare seles, reficereque possent. Similem industriam optarem ego ab omnibus meis Auditoribus tantò ardentius adhiberi, quantò pluribus, gravioribusque spiritualium deliquiorum, pusillanimitatis, inquam, & impatientia: periculis sunt subjecti; cum enim jam olim pius Asceta l. 2. de imit. Christi c. 12. verissimè dixerit: *Converte te supra, converte te infra: converte te extra, converte te intra, & ubique crucem invenies*: facile apparet, quantopere myrothecio aliquo spirituali indigeamus, quo animum nostrum in ejusmodi adversis casibus à deliquio spirituali defendamus, aut certè, si in illud ceciderit, iterum erigamus, & roboremus. Quod autem ad hunc finem aptius, efficaciusque myrothecion reperire poterimus, quàm devotam Passionis & Cruciatuum Christi memoriam? ita sanè jam olim testatus est S. Augustinus, dum l. 3. ad Fratres in Eremo dixit: *In omnibus adversitatibus meis non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Servatoris; in illis dormio securus, & requiesco intrepidus*. Hoc sanè myrothecion omnibus convenit & prodest, pauperibus æquè ac Divitibus, humilibus æquè ac sublimibus; simplicibus æquè ac sapientibus, uti rectè noravit paulò antè citatus Asceta l. 2. c. 1. de imit. sequentibus verbis: *Si nescis speculari alta & sublimia, requiesce in passione Christi, & in vulneribus eius libenter habita: si enim ad vulnera & pretiosa stigmata IESU devotè confugis, magnam in tribulatione confortationem senties*. Ut ergo & vos deinceps optatum solatium & robur ex hoc myrothecio, seu sanctissima Christi passione referatis, imprimis variis argumentis & testimoniis, quàm pretiosum & salutare sit hoc balsamum demonstrabo; deinde verò unam hujus myrothecii cistulam post alteram aperiam, & quale ibi balsamum lateat, ac quomodo usurpandum sit, ostendam. Quemadmodum verò non dubito, vos insignem fructum & solatium ex hac conatione reportaturos, ita magna quoque aviditate, benèvolentiaque dicentem vos audituros confido.

Pars prior.

Inter alias celebriores Medicinas, quibus Medici ad con-

servandam, & reparandam Hominum salutem utuntur, non
 pestrema meritò Theriaca æstimatur, utpote quæ præter ali-
 mirandos, quos producere solet, effectus, etiam ex eo capere
 commendationem & æstimationem singularem meretur, quæ
 ex trecentis diversis herbis, & aliis similibus medicinis con-
 ponatur; sed quid hæc omnia ad illas partes, ex quibus balsamum
 nostrum spirituale conficitur? Nam 1. ad hoc balsamum
 omnia adhibita fuit ipsa Divinitas, utpote quæ ad eam necessa-
 ria erat ad hoc balsamum conficiendum, ut sine ea nullum
 omnino efficaciam habuisset; siquidem concors est SS. Pa-
 trum sententia, nullum purum hominem pro peccatis ab his
 manu genere commissis satisfacere potuisse, nisi miserere
 DEUS hoc medium invenisset, & infinitam dignitatem
 Divinitatis cum vilitate humanæ Naturæ conjunxisset.
 Ipsa etiam Christi Domini Humanitas ad hoc balsamum ad-
 hibita est; cum enim ex una parte DEUS decrevisset, huma-
 num genus per varios, gravissimosque cruciatus, mortem
 que acerbissimam & ignominiosissimam redimere; ex altera
 verò parte ipsa Divinitas nec pati, nec mori posset, utique ne-
 cessarium pariter fuerat, ut humanam Naturam assumeret,
 & ita conceptum in divino consilio decretum exequeretur.

Atque ex his præcipuis duabus partibus facile nunc in-
 telligi potest, quæ aliæ fuerint adhibitæ, nempe universa im-
 mensa attributa, quæ summæ Deitati conveniunt: omnes
 inde supernaturales gratiæ & virtutes, quibus sanctissima
 Christi Humanitas in summo gradu ornata erat: omnia pro-
 clara opera, quæ toto vitæ suæ tempore exercuit: omnia
 merita, quæ per actiones suas Theandricas in infinitum pro-
 pæmodum excreverunt obtinuit; omnes dolores, quos in
 vita & morte supra vires naturæ sustinuit: omnes injuriæ
 ignominia, quas à variis Personis cum summa patientia &
 mansuetudine toleravit: omnia vulnera tam majora, quæ
 minora, quæ, uti ex variis revelationibus habetur, supra
 mille sexcenta sexaginta sex accepit: omnes sanguinis guttas
 quas innumerabiles ineffabili charitate ac liberalitate pro-
 dit: & ipsa denique ignominiosissima, & crudelissima mors
 quam inaudita fortitudine & constantia obiit. Cùm ergo
 juxta certam & unanimes SS. Patrum sententiam, vel tantum
 Sanguinis guttula, aut minimum opus à Christo patrum

tantum in se valorem ac dignitatem contineat, ut etiam ad infinitos Mundos redimendos suffecisset, facile profecto colligi potest, quam pretiosum hoc balsamum nostrum esse oporteat, quod ex tot operibus ac guttis Christi, aliisque supra enumeratis partibus confectum est, ut adeo merito S. Leo l. 10. de Pass. Domini dixerit, ex omnibus DEI operibus nullum magis admirandum ac pretiosum esse, quam sanctissimam Christi passionem.

Quod porro singularem habeat vim & efficaciam ad Homines in omni spiritali deliquio confortandos, testatus imprimis est ipse DEUS tum per serpentem æneum in deserto suspensum, quem, qui aspiciebant, à moribus letiferis serpentum sanabantur, uti Num. 21. legitur, tum per farinam, quæ pulmento ab Elisæo Propheta infusa omnem illius amaritudinem sustulit, uti 4. Reg. 4. narratur; tum per lignum in aquas amaras missum, quod pariter omnem ijs aquis amaritatem eripuit, uti Exod. 15. videre est; quid enim per has figuras aliud significare voluit DEUS, quam quod sicut serpens æneus morsus corporis, ita Christus in cruce suspensus morsus animi sanet; & sicut lignum illud & farina amaritudinem à pulmento & aquis, ita Christi passio cogitata tristitiæ amaritudinem à mentibus Hominum auferre soleat? 2. Testatus id ipsum est ipse Christus, dum Discipulos suos Jo. 15. ad tribulationes & Mundi persecutiones fortiter sustinendas animaturus, non aliud, quam exempli ac passionis suæ balsamum obtulit dicens: *Si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Atque ut magis hoc balsamum commendaret, addidit: *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Sed & post mortem id ipsum suasit Religioso cuiquam, dum ob graves tentationes ad sæculum redire volenti, dixit: *Omne asperum intinge in latus meum, & erit tibi dulce;* nimirum tribulatio, ut S. Catharina Senensis à Christo instructa dicere solebat, similis est duro pani, qui, secundum se quidem asper est, & difficulter sumi potest; si vero dulcissimo liquori sanguinis Christi immergatur, mox emolli incipit, & cum delectatione singulari assumitur. 3. Testatus quoque eandem doctrinam est S. Michaël Archangelus, qui iussu DEI S. Mariæ Magdalensæ in spelunca degenti

Crucem affabrè factam in ipso speluncæ aditu sic defixit, ut quocunque oculos converteret, semper eam aspiceret, ut ratione doceret, quo potissimum medio asperitatem patientia emollire, seque in omnibus tentationibus atque adversitatibus roborare deberet. Uti fusiùs Silvester in taur. ser. de S. Magdalena refert. 4. Testati sunt hoc ipsi gemini Principes Ecclesiæ, primariisque Apostoli Petrus & Paulus; quorum prior 1. Petr. 2. primos suos Christianos adversus imminentes persecutiones confortaturus, hoc ipso nostro balsamo eos inunxit scribens: *Christo in carne passio, vos eadem cogitatione armamini.* Posterior verò eodem ad Hebræos roborandos medio usus est, dum c. 12. scripsit: *Cogitate eum, qui talem sustinuit à Peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* Nec dubium esse potest, quin reliqui quoque Apostoli & se, & Christianos suos eodem quoque balsamo inunxerint & contra varias tribulationes roborarint. Testati sunt et ipsi idipsum copiosè plerique SS. Patres, quorum tamen unum tantum alterumve testimonium afferam. Et S. Gregorius Magnus quidem in Epist. quâdam scripsit: *Nihil adeo grave est, quod non æquanimitè toleretur, si Christi passio ad memoriam revocetur.* S. Isidorus verò l. de summo bono ait: *Si Passio Redemptoris ad memoriam reducitur, nihil est, quod non quo animo toleretur, parva enim toleramus, si recordemur, qui biberit ad patibulum, qui nos invitat ad cælum.* Testatur et idem & ipsa ratio nostra; an non enim hæc dicat, ferrum non debere esse majorem Domino suo? nec Discipulum suo Magistro? non decere, ut sub spinoso capite membrum existat delicatum? an non dicat, eum, qui præmij socius esse considerat, etiam laboris & passionis socium esse debere? an non dicat, summum fore dedecus, si Christo calicem amarissimum in nostram sanitatem ebibente, nos neque guttam illius amore gustare de simili calice velimus? Testantur denique 7. idipsum Filij hujus sæculi; nam si Urias 2. Reg. 11. & lecti & mensæ delicias tam constanter recusavit, dum Iubum Ducem suum sub Papilionibus & super faciem terræ manere recordatus est: si Seneca ad lectionem Sextij omnes suos adversos provocare non dubitavit: si juxta commune proverbium solatium est miseris socios habere; quid non de-

diet in animo Christiani, si Christi Ducis sui tot tantosque cruciatu passi exemplum intueatur? quantum solatium capiet, si meminerit, se in tribulationibus suis non purum hominem, sed ipsum DEUM Socium habere, atque tum exemplo suo, tum auxiliis cœlitibus collatis confortantem? Satis liquet ergo, ut arbitror, quàm veraciter SS. Christi passio pretiosissimo & saluberrimo myrothecio comparetur; atque adeò nihil superest, quàm ut ad alteram concionis partem transeamus, & unam cistulam post alteram aperientes, quale in cò balsamum lateat, & quâ ratione adhibendum sit, ostendamus.

Posterior Pars.

Primò ergo loco bullæ Moschi (*desi Wisam. Knopffs*) reperitur in hoc Myrothecio nostro Mysterium lotionis pedum, in quo utique præstantissimum & fragrantissimum Moschum continetur, illud videlicet exemplum, de quo ipse Christus dixit Jo. 13. *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Hoc ergo Moscho utuntur imprimis Sacerdotes & Magistratus, quando impelli se sentiunt, ut nobilioribus quidem Personis libenter operam suam exhibeant, justiciamque administrent, viliores verò & humiles negligant, & velut indignos sua ope contemnant; hinc considerent, quàm nullum inter Apostolos discrimen Christus faciat, quanta cum charitate & humilitate scelerato Judæ perinde ac S. Petro, S. Joanni & aliis Apostolis pedes abluet, & extergat; discant proinde & ipsi nullum inter Personas discrimen facere; meminerint, omnes ad æqualem finem à DEO creatos, omnes æquali charitate ac pretio à Christo redemptos, omnes in Filios ac Hæredes summi DEI electos esse. Audiant proinde, & observent saluberrimam S. Jacobi monitionem c. 2. dicentis: *Fratres mei, nolite in Personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESU Christi gloriæ. Et enim si introieris in Conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hinc bene: pauperi autem dicatis: tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Au-*

dite, Fratres mei dilectissimi, nonne DEVS elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & haeredes regni, quod repromissi DEVS diligentibus se?

Hoc eodem Moscho seu exemplo Christi pariter etiam se confortent omnes ij, quibus difficile accedit, vel humilia officia suscipere, vel certe aliis juxta conditionem sui status subijcere sese, ac servire. Hi, inquam, omnes bene confitentur, quis sit ille, qui ad pedes suorum Discipulorum se prosternit; & qui sint illi, quorum pedes ablucere dignatus est; imaginentur proinde, illa sibi pij Ascetæ verba l. 3. c. 13. ab illo reperi & inculcari: *Quid magnum si tu, qui pulvis es, & propter nihil, DEVM te Homini subdis, quando ego omnipotens & altissimus, qui cuncta ex nihilo creavi, me Homini propter te humiliter subiaci? Factus sum omnium humillimus & infimus, tuam Superbiam mea humilitate vinceres. Disce obtemperare pulvis. Disce humiliare te terra & limus & sub omnium pedibus incurvare. Disce voluntates tuas frangere, & omnem subiectionem te dare.* Sic profectò non parùm confortabuntur, & exemplo tanti Magistri sui excitati in humilibus obsequiis ac subiectione libenter ad finem usque vite perseverabunt.

Sed ad ipsas nunc Myrrothecij nostri cistulas aperiendas progrediamur, quarum quidem quàm plurimæ in eodem continentur, totidem scilicet, quot genera diversorum cruciatuum & injuriarum tempore Passionis suæ Christus sustinuit; sed ego quinque duntaxat præcipua aperiam, ea ipsa videlicet, quæ in Rosario doloroso plerumque solemus commemorare, & ad quæ velut suprema genera, reliqui serè omnino Cruciatu & injuriæ revocantur. In prima igitur cistula hæc verba, inscripta sunt: *Factus in agonia prolixius orabat* Luc. 22. balsamum reperitur pro iis, qui gravibus meritis & timoribus futurorum malorum cruciantur. Hoc balsamo utantur imprimis illi, qui de futuris eventibus nimium solliciti sunt, & anguntur. Hi proinde discant à Christo quomodo se in simili occasione gerere debeant. Ipse certò licet ab ipso Conceptionis suæ primordio clarissimè cognoverit omnia, quæ sibi eventura erant, nunquam tamen ab ea cogitatione se ad tristitiam commoveri est passus, usque dum ipsum, quo ea tolerare debebat, tempus appropinquabat, et

vel hoc suo exemplo nos doceret, omnem de futuris eventibus inordinatam sollicitudinem abijcere, totosque nos Sapientissimæ Patris æterni providentiæ gubernandos committere. Aspiciant proinde, & faciant secundum hoc exemplar. audiant Thomam Kempensem l. 3. c. 30. salubriter monentem: *Quid importat sollicitudo de futuris contingentibus, nisi ut tristitiam super tristitiam habens? sufficit diei malitia sua. Vanum est & inutile de futuris conturbari, qua fortè nunquam evenient.* Faciant perinde sequentem in ejusmodi occasionibus discursum: Aut evenient, quæ tantopere timeo mala, aut non evenient: si non eventura sunt, frustra & stultè ob ea conturbor & angor: si autem eventura sunt, satis erit, si tunc toleranda fuerint, quando evenient. Nolo ergo ante tempus miser esse, & malū immatura ac sollicita illius expectatione grandius efficere, sed potiùs tempus, quo accidet, expectabo, & tunc exemplo Servatoris mei ad montem Oliveti, id est, Misericordiæ divinæ me conferam, & loco trionum Apostolorum, quos Christus secum accepit, ego tres Theologicas virtutes assumam, *Fidem* videlicet, quā firmiter credam, mihi quæ persuadam, nihil sine ordinatione ac permissione divina accidere; & quidquid hoc modo accidet, ad majorem DEI gloriam, meamque salutem fuisse ordinatum, aut permixtum: *Spem*, quā certò confidam, DEUM non permixturum, ut ultra vires affligat, sed cum tribulatione etiam gratiam copiosam ad sufferentiam largiturum: *Charitatem* denique, quā in his omnibus superem propter eum, qui dilexit me; quāque meam voluntatem cum ipsius voluntate penitus conformem, & ex corde cum ipso dicam: *Pater, si possibile est, transeat calix iste à me: verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Ita profectò & ipsi cum Christo confortabuntur, ultròque tribulationibus imminentibus occurrente diluentes: *Surgite, eamus.* Post hos verò etiam in hoc, balsamo utantur, qui pusillamines sunt, & quærentur, si preces suas, quibus aut varia mala deprecabantur, aut certa beneficia, gratiasque petebant, à DEO non exauditas, sed penitus neglectas fuisse advertant. Et hi ergo ad exemplum Christi in horto tam ferventer & humiliter orantis, nec tamen exauditi attendant, secumque sic discurrant: Si is, qui unicus & dilectissimus Patris æterni Filius fuit, qui nullum unquam

peccatum admittit, qui toties, & tam ardentem oravit, tamen à Patre non est auditus, cur ego vilissimum ac postremum illius mancipium, qui toties & tam graviter ipsum offendi, qui tam tepidas & imperfectas preces obtuli, cur, inquam, conquerear ab eo non secundum voluntatem meam exaudiat? Hic ergo discant à Christo, quòd DEUS, ut Sapiens S. Isidorus advertit, frequenter non audiat ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem, id est, ea beneficia donaque conferat, quæ ad profectum ac salutem anime nostræ magis proficua esse cognovit, quem admodum & cum Christo egit, dum ab ipso Calicem quidem, quem transferri à se petierat, non abstulit, sed tamen rebus copiosum, quo eum exhaurire posset, communicavit, quod & ipsi Christo, & toti generi humano longè conducibilis fuerat, sæpe igitur ejusmodi Personæ quarulæ hoc exemplo Christi se solentur, simulque saluberrimam, solatiique plenissimam S. Bernardi serm. 5. de quadr. sententiam pedibus suis, memoriæque firmiter inscribant: *Nemo parvipendat orationem suam; dico enim vobis, quod ipse, ad quem oramus, non parvipendit eam. Postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo, & unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit, quod petimus; aut quod verius utilius.*

In Secunda cistula, quæ mysterium flagellationis continet, atque adeò hæc verba inscripta habet: *A plana pedis usque ad verticem non est sanitas in eo. Isaiæ 1. cap. balsamum pro ægris, aliisque dolores corporales patientibus invenitur. Hoc ergo utantur in primis omnes infirmi, seque exemplo Christi in similem modum ad infirmitates suas æquo animo ferendas excitent, & confortent: Ecce Dominus meus & Servator meus gravissimos toto corpore dolores patitur, & ego modicum dolorem pro ipso non patienter & libenter sustineam? ipse pro lecto durissimam columnam & crucem habet, & ego de duritie lecti mei conquerear? ipse felle amarissimo potatus est, & ego amaritudinem Medicarum potionum horrebol? ipse flagellorum & clavorum punctiones innumeras tulit, & ego pauculas, levesque morbi puncturas non feram? ipse omnium hominum auxilio, solatioque institutus fuit, & ego hominum solatia immodicè expetam, & conquiram? Absit hoc à me, non decet sub Spinoso capite membrum esse delictum.*

timi: Nolo vivere sine dolore & vulnere, quando Dominum
 meum tot doloribus & vulneribus video insignitum. Sic
 profecto hoc oleo S. Clara, & S. Lydvina se inunxerunt, &
 consolatae sunt, ex quibus haec continuis triginta octo annis
 per gravissimos morbos sic lecto fuerat affixa, ut neque surge-
 re, nec pede terram attingere posset; S. Clara vero per annos
 viginti & octo cum acerbissimis doloribus, morbisque est lu-
 ctata, utraque tamen nec minimum unquam impatientis ani-
 mi signum ostendit, sed continua gratiarum actio ex utrius-
 que ore fuit audita, quia scilicet, ut ipsae fatebantur, balsamo
 nostro inunctae exiguos esse dolores suos adverterant, si cum
 Christi amantissimi Sponsi sui doloribus comparentur. Si-
 mili autem modo, hoc etiam balsamo utantur, quotquot vel
 à DEO, vel à Superioribus suis ob sua delicta per varias cor-
 reptiones & castigationes flagellantur. Discant, inquam,
 haec flagella non ut crudelia supplicia, sed ut paternas corre-
 ptiones intueri, atque ad eodè æquissimo animo excipere ac su-
 finire studeant. Audiant proinde S. Apostolum Hebr. 12.
 salubriter iterum monentem: *Fili mi, noli negligere discipli-
 nam Domini: neque favearis, cum ab eo corripieris; quem
 enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem Filium,
 quem recipit.* Audiant & S. Augustinum super Pl. 99. dicen-
 tem: *Fili mi, si ploras, pie plora; noli cum indignatione, noli
 cum typo superbia. Unde plangis? quod pateris, medicina est,
 non poena: castigatio non damnatio. Noli repellere flagellum,
 si non vis repelli ab hereditate. Noli attendere, quam poenam
 habens in flagello, sed quem locum in hereditate.* Dicant pro-
 inde cum S. Davide Pl. 37. *Ego in flagella paratus sum.* Di-
 cant cum pio Asceta l. 3. c. 50. *Gratias tibi ago, o Pater, quia
 non pepercisti malis meis, sed attrivisti me verberibus amaris,
 infligens dolores, & immittens angustias foris & intus. Ecce
 Pater dilecte, in manibus tuis sum ego, sub virga correctionis
 tua me inclino. Percute dorsum meum, & collum meum, ut incur-
 vem ad voluntatem tuam tortuositatem meam.* Dicant de-
 nique semper & assiduo cum pio Latrone: *Nos quidem iuste
 (flagellamur) nam digna factis recipimus; hiè verò (Chri-
 stus) nihil mali gessit.*

In tertia cistula mysterium coronationis continente, cui
 haec verba inscripta sunt: *Plectentes coronam de spinis impo-
 sue-*

suerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum; balsamum continetur pro iis, qui varios contemptus & injurias patiuntur. Hoc itaque balsamo utantur inprimis, qui falsè se accusatos, & injustè damnatos dolent, sèque ipsos exemplo & Societate Christi solentur, ac dicant: Si is accusatus est, qui fuit ipsa innocentia; qui solus cum veritate dicere potuit: quis arguet me de peccato? quid mirum, si ego accuser, qui cum ipsa malitia? si is pro Latrone, Seducatore, Potatore, Mago habitus est, qui omnium Salutem tam ardentè quæsit, qui tam præclara virtutum exempla præbuit, qui omnibus veram viam ad perfectionem & cælum ostendit, quid mirum, si ego falsò accuser, qui tot vitis & imperfectiōnibus totus ejusmodi accusationi occasionem dedi? si is in judicio se non defendit, ubi justè poterat, ubi de vita & fama agebatur, quantò minùs ego me in causa multò leviori defendam? Sentiant ergo, & dicant de me Homines, qui quod voluerint sola me in oculis DEI conscientia non accuset. Mihi autem pro minimo erit cum D. Apostolo, ut ab Homīnibus judicer, aut ab humano die. Sic balsamo isto ab ipso Christo inunctus est & confortatus Joannes Pechæ Minoris, D. Bonaventuræ Discipulus, qui, cum in publico Capitulo falsò accusatus, graviter hanc injuriam sensisset, idè quæ ante Christi crucifixi imaginem prostratus, ac de eadem conquestrationem, tandem pro coronide hæc verba audivit: Tu ergo vermis non turberis, si statim non consequeris, quidquid à Patre quæris. Deinde verò eodem etiam balsamo specialiter utantur, qui sese aliis postponi, vel tanquam simplices aut stultos irrideri, aut gravibus contumeliis, illusionibusque conscindi dolent; & hi, inquam, hoc balsamo seu exemplo Christi se solentur, ac dicant: Si is, qui omni honore dignus erat, tantopere contentus, & Barrabæ Latroni flagitiosissimo postpositus est, cur ego, qui minor sum omnibus, aliis postponi refugiam? si is, quem Cælestes, Terrestres, & Inferi reverentur, & adorant, sputis consputus, & illusus est, cur ego, alterumve Verbum contumeliosum non patienter audiam? si is, qui est ipsa sapientia, pro stulto habitus est, cur ego, qui veras tot stultitias admisi, & DEUM creaturæ gratiam peccato, summam felicitatem vilissimæ voluptati post-

posui pro simplici aut minùs sapiente haberi recusem? Quin
imò Elegi abjectus esse in domo DEI mei magis, quàm habi-
tare in tabernaculis Peccatorum- Ludam, & vilior fiam, plùs,
quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. Hoc sanè
balsamo Apostoli inuncti sunt, hinc Ibant gaudentes in con-
spectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU
contumeliam pati. Hoc S. Elzearius adeò roboratus est, ut
dicere ausus sit, se non tristaturum, aut turbatum iri, etiam si
proprii sui Famuli ipsum invaderent, barbamque evellerent.
Hoc ergo & omnes, qui similes contemptus aut injurias pati-
untur, uri assuescant, Christumque illis pij Ascetæ verbis l. 3.
c. 41. ipsos alloquentem imaginentur: *Fili, noli tibi atrabe-
re, si videas alios honorari & elevari, te autem despici & humi-
liari: erige cor tuum ad me in cœlum.* (aut potius in crucem)
& non contristabit te contemptus Hominum in terris.

In quarta cistula, quæ Mysterium Bajulationis crucis
continet, & sequentia verba inscripta habet: *Bajulans sibi
crucem exivit in eum, qui dicitur, Calvaria locum:* balsamum
pro iis, qui sub gravi onere peccatorum vel laborum corpora-
lium gemunt atque suspirant, continetur. Hi proinde om-
nes credant à Christo crucem bajulante illa sibi jam olim
ad Discipulos prolata verba repeti. Matth. 11. *Venite ad me
omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ve-
niant proinde ad ipsum in p̄fimis omnes, qui laboribus cor-
poralibus, quos propria cujusque vocatio à quolibet requirit,
gravatos & oneratos se queruntur; veniant, inquam, & hoc
balsamo id est, exemplo Christi se inungant, & solentur. Al-
loquantur seipsos, & dicant si Christus pro aliena salute tam
patienter tulit crucem, cur ego pro mea salute eam non pari
patientia supporrem? si ille, cui jure regnum cœlorum de-
beatur, tot tamen tamque graves pro illo obtinendo labo-
res suscipere voluit, quidni ego, cui gratis id promissum est,
similes pro illo consequendo labores libenter ac promptè
suscipiam? si ille, qui est requies omnium Sanctorum, in la-
boribus fuit à juventute sua, cur ego servus ad laborem natus
in otio vitam consumere non erubescam? Sic sanè jam olim
Christus Juvenem quendam Religiosum inunxit, ac roborav-
it, dum eidem ob difficultates in Religione occurrentes
propositum mutare volenti cruce grandi onustus apparuit, &
cùm

cum Religiosus ipsum in cruce portanda iuvare veller, eadem dixit: Quomodo tu crucem meam portare presumas, qui togam tuam levissimam ferre non potes? quo dicto confusus ipse erubuit, & respuit. Eodem ergo hoc unguento se inungant, qui laboribus gravantur. Imaginentur sibi, si denuo ad crucem portandam illis Luc. 9. verbis invitari: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Respondent proinde illi piissimi libelli verbis l. 3. c. 56. de imit. *Domine IESU, si me dixisti, & promisisti, sic utique fiat, & mihi promereri conentur.* *Suscepi, suscepi de manu tua crucem portabo, & portabo eam que ad crucem.* Verè bona vita Monachi (& Christiani) crux est, & dux paradisi. Inceptum est, retrò abire non licet, nec relinquere oportet. *Eia Fratres, pergamus simul, IESUS erit nobiscum.* Propter IESUM suscepimus crucem, propter IESUM perseveremus in cruce. *Erit adiutor noster, qui est Dux noster & pater noster.* *En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnat pro nobis.* *Sequamur viriliter, nemo metuat terrores: si nos parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloria nostræ, ut fugiamus à cruce.* Verùm non hi duntaxat, sed illi etiam qui peccatorum suorum onere premuntur, veniant, & tanto ardentius hoc balsamo se inungant, quanto gravius est onus, quo premuntur. Hi ergo vel maximè sibi applicare debent verba illa: *Venite ad me omnes, qui laboratis, (sub iugo & servitute Diaboli) & onerati estis (multitudine ac gravitate peccatorum) & ego reficiam vos:* Ego, inquam, qui Magdalenam gravius longè, quàm vos feceritis, peccatam tam benignè ac paternè excepi: Ego qui Petrum tertia vice me negantem tam suaviter respexi, & ad pœnitentiam commoriturus: Ego, qui Latronem pauculis vocibus veniam peccatam tam promptè exaudi vi: Ego, qui pro vobis tot tormenta sustinui, tot injurias perpeffus sum, tot vulnera accepi, tot sanguinis guttas profudi, & ipsam denique amarissimam mortem sustinui: Ego, inquam, reficiam vos per gratiam meam, ego à peccatis vos sanguine meo lavabo, ego vulnera vestra meis vulneribus curabo, ego morte mea vitam vobis Spiritualem restituam. *Convertimini itaque, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Et quare moriemini, domus Israël? Quia nolite moriri.*

morienti, revertimini, & vivite. Quis tam suavem invitationem non audiat? quis tam amica adhortatione non flectatur, maxime si meminerit, teste Taulero, Christum quondam alicui dixisse, non tam citò stupam ab igne accendi, quàm ipse paratus sit veniam peccatori contrito ac poenitenti concedere: nec Matrem quampiam magis promptam esse ad Filiolum ex igne eripiendum, quàm ipse desideret Peccatorem ab igne tartareo liberare. Venite ergo, ô Peccatores, & saluberrimam S. Augustini l. 4. de Virg. adhortationem vobis applicate: *Inspice vulnera pendens, sanguinem redimentis pretium morientis, cicatrices resurgens. Caput habet inclinatum ad osculandum, ut aperit ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum.* Hæc quantæ sint, cogitate: hæc in statera cordis vestri appendite, ut vobis sigatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce. Certè quàm potens sit hoc balsamum ad Peccatores confortandos & sanandos, paucis, sed efficacibus verbis S. Bernardus S. 4. hebdom. sacræ ostendit, dum dixit: *Quis tam irreligiosus, qui non compungatur? quis tam insolens, ut non humilietur? quis tam iracundus, ut non indulgeat? quis tam deliciosus, ut non abstineat? quis tam flagitiosus, ut non contineat? quis tam malitiosus, ut non peniteat his diebus? merito quidem, nempe adest Passio Domini usque hodie terram movens, petras scindens.*

In quinta tandem cistula, Mysterium Crucifixionis continente: cui proin inscripta sunt hæc verba: *Mortuus est pro nobis, ut, si ve vigilemus, si ve dormiamus, simul cum illo vivamus.* 1. Thessal. 5. balsamum pro moribundis continetur, sed iis maxime, qui inimicitias deponere nollunt, & æternam perire, quàm inimicis ignoscere volunt; pro iis item qui mortem immodicè timent. Hi ergo omnes hanc cistulam aperiant, & pretiosissimum ad se confortandos balsamum reperient. Quis enim 1. Inimicis suis paucas injurias & offensas non libenter remittet, si Christi exemplum tam graves, tamque multas injurias non modò Inimicis suis remitterem, sed etiam excusantem, & pro iisdem Patrem æternum deprecantem audiat? Quis non erubescet, si videat, Dominum

suum pro suis tot, tamque gravibus peccatis delenda
 remittendis tam acerba tormenta, ipsamque amarissimam
 mortem sustinere, ipse verò pro unica duntaxat vel de
 tera levi offensa confervi sui nec unicum actum volunta-
 tis, quo talem ei offensam condonet, elicere velit? an non
 jure Christum illa Matth. 28. verba de Cruce repetiturum tra-
 mebit: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi* (imò pro
 copiosissimè solvi) *nónne ergo oportuit & te miserere* *Cro-
 vi tui?* Ita profectò hoc balsamo usque, ejusque efficaciam
 expertus est S. Gualbertus, notissimus ille Confessor, qui
 cum ipso die Parasceves in Inimicum suum incidisset, cum-
 que jam occidere pararet, per Christi veniam Inimicus
 tam liberaliter concedentis amorem ob eo, ut parceret, ro-
 gatus, condonavit, & in signum amicitie ambobus tes-
 tibus amplexatus est; quod officium quam gratum Chri-
 sto fuerit, mox per insigne miraculum patrefactum est
 dum scilicet Christus in cruce pendens, coram quo Gual-
 bertus orabat, faciem ad ipsum convertit, significare vo-
 lens, æquum esse, ut misericordibus oculis respiciatur
 qui faciem suam ad inimicum suum tam benevolè con-
 vertit, omnemque ei culpam tam liberaliter remisit. O-
 mnes ergo, quotquot inimicitias animo adhuc fovetis
 huc accedite, & illa Matth. 5. verba velut ab ipso Chri-
 sto denuò repetita audite: *Esto consentiens Adversario tu-
 o dum es in via cum eo, ne fortè tradat te Adver-
 sarius Iudici, & Iudex tradat te Ministro, & in carcerem
 mittaris.* Aperiant verò etiam hanc cistulam, qui mor-
 tem immodicè timent, nec leve per balsamum hoc es-
 strum, solatium, roburque accipient, utpotè per quod
 omnia tria capita, quæ mortem adeò terribilem faciunt,
 nempe tentationes Dæmonis, timor rationis in judicio
 reddendæ, & metus gravis purgatorij sustinendi, efficaciter
 tolluntur. Quam enim potens adversus Dæmonem
 impugnationes telum sit fiducia in SS. Domini passionem
 collocata, jam pridem expertus est S. Elzearius Comes
 qui, licet in agone terribilem ab initio vultum præfere-
 lerit, paulò post tamen exclamavit: *Magna est Dæmonis
 vis, sed eam penitus enervarunt virtus & meritum
 Passionis Christi.* Et post paululum iterum clamans,

ne vici, inquebat. Sed & ipsi Dæmones idem quon-
 dam S. Edmundo Episcopo confessi sunt, dum enim eos-
 dem per vulnera & passionem Christi adjuraret, ac dice-
 re juberet, per quod telum vires eorum maximè infrin-
 gerentur, coacti tandem responderunt: Per id, quod no-
 minasti. Sed nec judicij severitatem tantopere timebit,
 qui passionis Christi devotus Cultor extiterit. An non
 enim talis confidenter cum S. Bernardo S. 22. super
 Cant. dicit: *Ego fidenter, quidquid mihi deest, usurpo ex
 misericordibus Domini, quoniam misericordiâ affluunt, nec de-
 sunt foramina, per que effluunt.* Ita sanè hoc balsamum
 usurpavit Religiosus ille Societatis nostræ, qui dicebat,
 Christo duplici titulo jus ad æternam hæreditatem com-
 petere, titulo scilicet Filij naturalis, & titulo Merito-
 rum, præcipuè per Passionem obtentorum, priorem ipsi
 suffecisse ad dictam hæreditatem petendam, posteriorem
 nobis reliquisse, unde meritò quis cum magna fiducia
 & alacritate mori debeat. Ita etiam hoc balsamo usus
 est alius Religiosus, qui, cum in judicio videret, alte-
 ram lancem peccatorum suorum multum præponderare
 lanci bona opera continenti, unicam Christi guttulam le-
 viori lanci apponi petijt, & mox copiosè eam præpon-
 derare fecit. Longè memorabilius verò est, quod in
 spec. Exmpl. V. Passio Christi Ex. 3. legitur, quòd sci-
 licet Religiosus quidam, qui non adeò bene vixerat an-
 tehac, post mortem cuidam Priori apparuerit, & se sine
 Purgatorio ad cælum ivisse Confessus sit, eò quòd con-
 suetudinem istam habuerit, ut, quoties coram Crucifixo
 transiret, hanc orationem diceret: *Domine, per illam a-
 maritudinem, quam sustinuisti propter me in cruce, maxi-
 mè quando anima tua egressa est à corpore tuo, miserere a-
 nima mea in egressu suo.* O ergo verè pretiosum, verè
 salutare, verè desiderandum balsamum, quod tantopere
 in vita & mortis deliquis confortat.

Epilogus.

Agite ergo, & non tam à me, quàm à Christo my-
 rothecion hoc spirituale benevolè accipite, sedulò usur-
 pate, & studiosè conservate. Dicite cum Sponsa Cant.
 Bb 2 cap.

cap. 1. Fasciculus myrrha (imò Myrothecion Spirituale)
dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur. Et
 quemadmodum olim Hebræi, cùm tristitia quæpiam eos
 oppressit, ad se invicem dixerunt: Eamus ad Filium MA-
 RIÆ, ut hilares fiamus. Ita & vos in omnibus vestra
 tentationibus & maistitiis ad Crucifixum Christum propo-
 nate, dicitèque: Eamus ad Christum Crucifixum, ut nos
 hilares fiamus. Sic verè vim balsami huius experi-
 emini, & verè cum S. Augustino, dicere poteritis: *in*
omnibus adversitatibus non inveni tam efficax medicum,
quàm vulnera (& cruciatus) Salvatoris. Cùm me premit
 aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi: cùm
 me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini me
 resurgo: cùm Diabolus mihi parat insidias, fugio ad vultu-
 ra misericordissimi Domini mei, & recedo à me: si ardeat
 libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Do-
 mini nostri Filii DEI extinguitur. Si denique & ipse ter-
 mor mortis me excruciat, ad vulnera & mortem Chri-
 sti confugiam; nihil enim, ut idem Sanctus ait, tam
 mortem avarum, quod morte Christi non sanetur: tota
 mea est in morte Domini mei: mors eius meritum meum,
 refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea merita
 meum miseratio Domini; non sum meritis inops, quia
 ille miserationum Dominus non defuerit; & si miserationes
 Domini multa, multus ego sum in meritis: quando ille pre-
 tentior est ad salvandum, tantò ego sum securior. Quis
 ergo me separabit à charitate, quæ est in Christo JESU
 pro me passio & crucifixo? *Certus sum, quia neque mors,*
neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque vi-
stantia, neque fortitudo, neque altitudo neque profunditas,
neque creatura alia poterit nos separare; quia in his om-
nibus superamus propter eam, qui dilexit nos, donec fuerit

Socii passionum fuimus, ita & gloriæ simus, quam
 nobis per merita SS. Passionis concedat
 Pater, Filius, & Spiritus
 Sanctus.

§. III.

Alii Conceptus de eadem materia breviter indicantur.

I. Ex occasione thematis: *Plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum*: Zach. 12. potest narrari brevis historiola, quæ in Spec. Exempl. V. Passio. Ex. 6. legitur de Anglo nobili, qui in hebdomada lacra cum Saraceno per nemus pulcherrimum transiit, omnesque aves expansis alis arbori ad modum crucis adherentes vidit, causam verò rogans à Saraceno audivit, id singulis annis in hac hebdomade contingere, verum in die Resurrectionis omnes iterum reviviscere quasi, & cantare. Ex hac historia inferatur, meritò quemvis etiam Christianum hoc tempore duabus alis *affectus & effectus* cruci & passioni Christi adherere debere. Ostendatur ergo. 1. Quomodo *affectu* adherere debeant, nempe actus gratitudinis, fiduciæ, doloris de peccatis, amoris elicendo, quod proin, qua ratione fieri possit, clariùs ostendendum erit. 2. *Effectu*: Ut scilicet etiam opere compatiatur, id est, simul cum ipso Christo patiamur, id quod duplici modo fieri potest, *abstinendo* scilicet, & *sustinendo*, juxta ipsius Christi adhortationem Luc. 9. dicentis: *Si quis vult vivere post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me*. Ostendatur proinde, quomodo in praxi quisque amore Christi *abstinere*, à peccato maximè, & omnibus rebus ad peccatum allicientibus; & *sustinere*, sed eas maximè cruces, & difficultates, quas suis cuique status & vocatio offert, debeat.

II. Ex occasione thematis: *Accepto corpore Joseph involuit illud in Syndone munda, & posuit illud in monumento suo novo*: potest ostendi, quomodo Auditores Sepulchrum Christi in corde suo excitari debeant. Et 1. Quidem, quomodo *Parietes* dolorosa Christi patientis mysteria representantes erigendi, ubi pulchra habetur occasio, præcipuos Christi cruciatus explicandi, & quid in singulis maximè considerandum sit ostendendi. 2. Quomodo *Lampades* suspendendæ,

id est, varij affectus gratitudinis, doloris, spei, patientiæ, passionis, amoris eliciendi; ubi copiosa offertur materia, declarandi, cur, & quomodo hos actus elicere debeamus. 3. Quomodo cælum & receptaculum pro SS corpore Christi seu Monstrantia, ut vocant, apparanda, id est, laudes & gratias Cœlitum more ob Passionem dicendæ, & cor suum pro fœculo seu Monstrantia offerendum sit, juxta illud Salomon Prov. 13. *Præbe, Fili mi, cor tuum mihi.* Ubi ostendi potest quid sit cor præbere, scilicet omnes alias res creatas excludere, omnemque suum affectum & amorem in DEUM & Christum transferre.

II I. Ex occasione thematis: *Iam hyems transit, imber abiit, & recessit; flores apparuerunt in terra nostra; potest Passio Christi horto comparari.* & inde varij flores colligi, atque in unum fasciculum, qui Auditoribus offeratur, connecti: in qua occasione fructus præcipui, & virtutum actus, quos in consideratione Passionis Christi reportare & elicere debemus, explicari possunt. Primus itaque flosculus esse dicitur *Felsago* seu *vergiss mein nicht*/ per quem intelligi potest affectus gratitudinis, quam Passio Christi præ omnibus aliis beneficiis exigit. Secundus flosculus est *viola* seu *das Weiden* per quam dolor de peccatis indicatur, utpote ad quem eliciendum Specialiter conducit, & excitat Passio Christi. Tertius est *Origanum* seu *wohlgemuth*. Vel *Euphrosynon* seu *Das gen. Trost*/ per quem flosculus spes & fiducia, cui copiosa Motiva offert Christi Passio innuitur. Quartus est *Rosa* seu *die Rosen*/ per quam Patientia significatur, ad quam excitandam nihil est efficacius, quam Christi Passio; nam, ut testatur S. Gregorius dixit: *nihil est, quod non aequanimiter toleretur, nisi Christi Passio ad memoriam revocatur.* Quintus est *Flos Echij*, seu *das je länger je lieber*; per quem amor ab amore Christi patientis singulariter provocatus indicatur. Quomodo omnes affectus fusi explicati partim in Alphonso Rodrig. p. 2. tr. penult. partim in Auctario Fabri them. 5. in Per. P. rascev. videri possunt.

IV. Ex occasione thematis: *Quid retribuam Deo pro omnibus, quæ retribuit mihi? Pl. 115.* potest Magnitudo beneficii Redemptionis explicari, eumque in finem hithoria de Androdo servo Romano spiam Leoni eripiente, & victoriam

sim à Leone contra alios Leones in Amphitheatro defenso
 martiri. Dicitur ergo 1. quòd Leo iste Hominem signi-
 ficet, qui spinam acurissimam peccati in pede, id est, affecti-
 bus suis contraxit. 2. Ostendatur, quomodo illam Christus,
 & quanto cum labore, quàmque copioso sanguine & vulneri-
 bus extraxerit. 3. Inferatur, quid Homo ob beneficium
 Christo debeat, quòd scilicet ei hospitium in antro cordis
 præbere, cibum voluntatis divinæ studiosè impletæ offer-
 re, & contra feras bestias peccatorum defendere debeat, quæ
 omnia facile fusiùs ostendi possunt.

V. Ex occasione thematis: *Virtus de illo exibat, & sana-
 bat omnes: Luc. 6.* potest ostendi, quòd Christus tempore Pas-
 sionis suæ maximè Medici Personam assumpserit, & Pharma-
 copolis quodam pretioso erecto, nunc omnes frequentibus
 iterum verbis invitet: *Venite ad me omnes, qui laboratis, &
 onerati estis, & ego reficiam (ac curabo) vos.* Demonstrari
 ergo poterit, quàm pretiosum hoc sit Pharmacopolium seu
 Apotheca ex iis maximè capitibus, ob quæ plerumque Apo-
 thecæ ab Hominibus magni æstimari solent. Et 1. quidem
 ostendatur, quòd *pretiosissimis* constet medicinis, videlicet
 meritis Christi, quorum quodlibet infiniti valoris est secun-
 dum communiorem Theologorum sententiam. 2. Quòd *ef-
 ficacissimis* constet medicinis, cum non minor illarum sit e ffi-
 cacia nunc, quàm olim quando in terris ambulabat Christus,
 atqui tunc virtus exibat, & sanabat omnes. 3. Quòd *diver-
 sissimis* constet Medicinis pro omni morborum genere; ubi
 hæere maximè poterit, Concionator, & præcipuè ostendere,
 quàm aptæ medicinæ pro peccatis septem mortalibus repe-
 nantur; v. g. pro Superbis corona Spinea & arundo, pro
 avaris marsupium Judæ, pro invidis toga Christo detracta,
 pro Luxuriosis flagellum sanguinæ Christi conspersum, pro
 Galossis vas aceto & felle refertum, pro iracundis lancea Chri-
 sti cruore cruentata, pro acediosis Malleus & forceps, quibus
 Christus cruci affixus est; pro omnibus verò velut Alexiphar-
 macum sanguis Christi, quorum proin efficacia & aptitudo
 pro singulis his vitiis fusiùs ostendatur. 4. Quòd hæc apo-
 theca semper aperta sit, & ad omnium accurrentium usum pa-
 rata. 5. Quòd Medicinæ in hac Apotheca gratis & sine
 pretio offerantur, imò gratissimum Christo præsterur ob-

sequium, & frequenter petantur, & usurpentur. 6. Quod idem, qui paravit has Medicinas, sit etiam Medicus proutissimus, agnoscens clarissimè singulorum accidentia morbos, & simul etiam medicinarum ad illos curandam aptitudinem. Excitentur proinde Auditores, ut magna de hoc Medico fiduciam concipiant, atque ad eundem pro Medicinis tantopere sibi necessariis frequenter recurrant.

VI. Ex occasione thematis: *Respice in testamentum tuum.* Pl. 73. potest dicere Concionator, quotidianam experientiam constare, quod post mortem Magnorum Dominorum magnum mox oriatur in multis desiderium cognoscendi, quale testamentum fecerit, maxime si aliquid de eo se obtenturos sperant. Quare cum & nunc maximum quidam Dominus, imo Dominus Dominantium sit tuus, & ex ejus Testamento omnes se aliquid partururos sperent, se jam nunc Testamentum ultimum huius Domini aperturum, & quid cuique in testamento suo legaverit, explicaturum. Et 1. quidem dicatur, quod corpus suum Josepho Arimathæo & Nicodemo legavit. 2. Animam Patri æterno, in cuius manus Spiritum suum commendavit. 3. Dolores suos agris. 4. Injurias suas iis, qui similes injurias patiuntur. 5. Coronam spinam iis, qui difficultatem in capite suo frangendo, judicioque suo Ecclesie, vel Superioribus subiacendo sentiunt. 6. Linteum renes circumdans & sanguine purpuratum Incontinentibus. 7. Sacrosancta sua viscera afflictis. 8. Thesaurum meritum suorum Ecclesie. 9. Virtutes suas, præcipuè mansuetudinem, Humilitatem, Obedientiam, Patientiam, Charitatem, Perseverantiam omnibus Christianis. 10. Arma Crucis, seu ipsam Crucem omnibus ipsam sequi perfectius, & sub vexillo suo militare cupientibus. Ostendatur autem de his legatis, quomodo pretiosa sint, & quomodo quisque ea juxta voluntatem Testatoris usurpare debeat; hunc enim usum esse præcipuum obsequium, quod Testator in grati animi signum sibi exhiberi desideret.

VII. Ex occasione thematis: *Per multas tribulationes*

potest nos introire in regnum DEI. Act. 14. potest dici, quod eorum, quibus iter aliquod difficile & periculosum suscipiendum est, prima plerumque cura sit, ut Comites viæ peritos, fideles, & iucundos (cùm iucundus comes sit vehiculum viæ juxta commune proverbium) sibi adseiscant. Cùm ergo, ut textus in themate citatus indicat, omnes per viam tribulationum difficilem ac periculosam in regnum DEI intrare oporteat, meritò quoque de talibus Comitibus quemque sibi prospicere debere. Quia verò non cuilibet tam facile fuisse, ejusmodi Comites invenire, ideo Christum eos primùm elegisse, nobisque postea reliquisse. Hos autem Comites alios non esse, quàm *Indigentiam, Contemptum, & Dolores*, quos P. Balthasar Alvarez Comites Christi appellare solebat, eò quod Christum per totam vitam, sed maximè tempore Passionis suæ, nunquam deseruerint, sed fidelissimè Comitati sint. Dividatur ergo concio tota in duas partes, & in priori quidem parte ostendatur, quomodo hi Comites Christum in extremo viæ ac Passionis suæ tempore sint comitati; & proinde à nobis quoque libenter suscipi debeant. 2. Ostendatur, quàm fideles, viæque periti sint hi Comites, id est, quanta spes æternæ felicitatis obtinendæ meritò concipi possit ab iis, qui ejusmodi Indigentiam, Dolores, & Contemptum patienti & generoso animo supportant. Quàm item iucundi sint hi Comites, utpote de quorum iucunditate ipse S. Paulus 2. Cor. 7. testimonium tulerit dicens: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* quæ omnia facile futilius amplificari & probari possunt.

VIII. Præter hos conceptus alij quoque adhiberi possunt, à Concionatoribus usurpari soliti, ut scilicet interdum Processionem se cum Auditoribus instituturū ad locū, in quibus Christus passus est, variâsque Stationes factorum, id est, quid in quovis loco considerare & discere debeant, aut possint explicaturum. Aut septem ultima Christi Verba explicet, & morales inde doctrinas ad imitationem Card. Bellarmini eruat. Aut de quinque Vulneribus velut de totidem asyis peroret, & quare, ac quomodo ad ea Auditores confugere debeant, ostendat. Aut præcipuas sanguinis profusiones explicet, & quis fructus ex ijs sit hauriendus, demonstrat. Aut denique unum mysterium post alterum explanet, & sic per

plures annos totam Dominicam Passionem explicando percurrat.

CAPUT XI.

QUOMODO CONCIONES FUNEBRES
INSTITUENDÆ SINT.

Duplicis Generis Conciones institui solent, Solemnes & Communes. Illæ plerumque in Exequiis, hæ ipse sepulturæ tempore instituuntur. De utrisque fructuosè institutis solidam ac facilem Praxin hoc capite sum allaturus.

§. I.

Quid in his Concionibus in Genere sit
observandum.

In primis & ante omnia curet Concionator, ut sinceram erga defunctos omnes misericordiam instillet suis AA. & Parochianis, eumque in finem sibi applicet quoque saluberrimam illam Doctrinam, quam P. Jacobus Laynes Secundus S. J. Generalis reliquit, dum inter alia media ad conservandam Societatem hoc in primis commendavit, ut quotidie, & quàm frequentissimè Animarum, quæ in Purgatorio igne cruciantur, meminisset; Nam quandoquidem Societas tantùm exhaurit laboris, occupationibus tam multis eo duratur sine susceptis, ut Homines ad æternam felicitatem consequendam juvet, Consentaneum profectò est, ut eundem prosequens Charitatis Spiritum etiam ex hac vita digressis ad cursum conficiendum opituletur, ne justa illis sit causa Societatis charitatem quasi imperfectam accusandi; & merito liceat conqueri, se in medio itinere, eoque in loco destitutum, ubi nullam omnino sibi ipsis opem queant afferre. Quæ Doctrina profectò à Curatoribus Animarum tantò magis observanda est, quantò pluribus & potioribus Titulis obligati sunt, ad Animas suorum Parochianorum juvandas. Accedit, quòd hæc misericordia sit efficacissimum Medium ad Felicitatem æternam meliùs, citiùs, & copiosius obtinendam, atque adeò vel hoc etiam titulo à Pastore suarum ovicularum salutem avidè desiderante studiosè inculcati debeat.